

rabilis propter miras conuersiones; A
 consiliarius infundendo nobis lumen
 prudentiæ; Deus, dimittendo peccata
 & gratias largiendo; fortis, in bonis nos
 conseruando; pater futuri sæculi, quia
 in resurrectione immortalitatem ele-
 ctis dabit; princeps pacis, perducendo
 nos ad sui ipsius beatificam fruitionem.
*Propr. sanctorum, a fol. 62. pag. 2. ad fol. 63.
 pag. 2.*

Sermone tertio, idem duo nos docet
 quorum Primum est. Christianum de-
 bere circumcidere 1. oculos suos, re-
 frænando eos ab omni libidinoso aspe-
 ctu; 2. aures, ne verba detractoria, las-
 ciua & illicita audiat; 3. tactum, ab
 omni lasciuo contactu, palpatu & of-
 culo & applicatione carnali; 4. gustum,
 à delicatis cibis & potibus, vel saltem
 inordinatâ delectatione in illis; 5. ol-
 factum à voluptate carnali odorum; 6.
 linguam, à locutione peruersâ, mendo-
 sâ, fallaci, superfluâ; 7. ventrem à re-
 pletionem gulosâ; 8. sensitiuum appeti-
 tum ab omni inordinato sensibilibum
 atque carnalium rerum affectu. Secun-
 dum. Per octo dies Circumcisionis si-
 gnari octo actus virtuosos per quos cir-
 cumciditur atque perficitur homo 1.
 actus est propriæ iniquitatis considera-
 tio ac recogitatio coram Deo; 2. pudor
 & dolor de enormitate propriorum ex-
 cessuum; 3. propositum emendandi;
 4. timor Dei ac diuini pavor iudicij;
 5. restitutio alieni & persolutio debiti;
 6. sacramentalis confessio in quâ omnia
 lauantur; 7. satisfactio pro peccatis per
 opera penitentialia; 8. Perseuerantia
 in prædictis. *In proprio sanctorum à fol.
 63. pag. 2. ad fol. 64. pag. 2.*

IOAN. IERSONI sermo pulcher-
 rimus ac deuotus in illud Pauli. *Appa-
 ruit gratia Dei saluatoris nostri &c.* In quo
 iungit Epistolam Euangelio, & Euan-
 gelium Epistolæ, & vtrumque per alte-
 rutrum deducit & explicat. Tractat
 autem de gratia, & de nomine Iesu, in
 exordio exponit verba thematis, & ho-
 minis processum instruit, sapientia (in-
 quit,) illum accusabat, iustitia accusa-
 tum condemnabat, potentia executio-
 nis sententiam demandabat, condem-

natumque puniebat, homo autem gra-
 tiam appellauit, quæ hodie apparuit, &
 Deus iudex, silentium imposuit accu-
 santi, condemnanti ac punienti, & au-
 dientiam misericordiæ concessit. Po-
 stea probat quomodo ex reparatione
 lapsi, ex recreatione deperditi, ex iu-
 stificatione impij gratia diuina maxi-
 mè apparuerit. Deinde concionem di-
 uidit in duas partes. I. quod apparuit
 gratia Domini in humili sua subiectio-
 ne ad legem Circumcisionis. II. quod
 eadem gratia apparuit in populi re-
 demptione secundum nomen eius; Ie-
 sus, id est Saluator. In prima parte
 multa dicit. I. loquitur de Circumci-
 sione ad conscientiaæ ædificationem. II.
 varias quæstiones Theologicales propo-
 nit, & quasdam soluit de eadem cir-
 cumcisione. III. quatuor consideratio-
 nes morales tangit, iuxta quatuor effe-
 ctus gratiæ diuinæ qui notantur in the-
 mate assumpto.

Prima consideratio.

Ad apparentem gratiam in Circum-
 cisione Iesu, qui legis mandato obedi-
 uit, princeps & prælatus licet solutus
 legibus, pati debet legem quam ipse
 tulit, pro subditorum exemplo, & reu-
 erentiâ præstandâ Deo.

Secunda consideratio.

Apparens gratia in humilitate Christi
 Iesu Circumcisi, & in similitudine car-
 nis peccati hodie visi, prælatum ac
 principem horratur, vt quanto maior
 est cæteris, humiliet se in omnibus sicut
 Christus fecit, & se ab omni signo super-
 biæ circumcidat.

Tertia consideratio.

Apparens gratia in Circumcisione, qua
 Christus propriæ legi, quam tulerat, se
 subiecit, docet prælatos, principes, &
 superiores quoscumque, vt non impo-
 nant humeris subditorum onera gra-
 uia, digito autem suo nolint ea leuare.

Quarta consideratio.

Gratia Christi apparens in Circumci-
 sione, documento est prælatis ac supe-
 rioribus, vt non potentiam subditis, sed
 gratiam ostendant, pro illis se circum-
 cidendo, & aliquid etiam patiendo,
 sicut fecit Christus, qui non indigen-